

(Quarta materia de spiritu sancto)^{a)}

Inprimis asserit, quod spiritus sanctus sit mater Christi secundum regenerationem.

Secundo quod ipse ante XVI annos^{b)} recepit spiritum sanctum, ut putat die ultima festivitatum penthecosten in ecclesia sancti Pauli in specie sonitus terribilis, quem audivit in superioribus ecclesie. Et quia se prius disposuit, stabat inclinatus, et ille sonitus descendit in eum et spiritus sanctus^{c)} cum illo sonitu replevit eum sicut sanctos apostolos; sed intravit in eum cum dolore interiori et exteriori gravi pressura^{d)}.

(Correlarium primum)

Tercio quod exposit secutus est instinctum illius spiritus, ita^{e)} quod dicit cum apostolo: *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus*¹⁾.

(Secundum correlarium)

Quarto quod nullus ante eum recepit spiritum sanctum sicut ipse, nec postea aliquis eum recepturus sit.

(Tertium corellarium)

Quinto quod ipse certus est, quod^{f)} spiritus, qui eum inspirat, est spiritus sanctus ex eo, quod venit in^{g)} eum cum prefatis dolore interiori et pressura exteriori, et eciam quia sepe exposit raptus est in interiori homine.

Sexto quod spiritus missus^{h)} apostolis fuit spiritus timoris et servitutisⁱ⁾, sed ille spiritus, quem ipse recepit^{k)}, est spiritus veritatis, de quo ait dominus in ewangelio Johannis: *Quando venerit spiritus veritatis, quem ego mittam vobis a patre, ille docebit vos omnem veritatem*²⁾.

(Quinta^{l)} materia de deo absolute)

Tenet inprimis, quod homo potest effici per gratiam illud, quod est deus per naturam, probans per illud Johannis^{m)}, ubi ait salvator: *Oro, pater, ut ipsi sint unum*ⁿ⁾ *nobiscum, sicut unum sumus*³⁾.

(Secundum correlarium)

Secundo quia ipse deus est^{o)}, deo sit unitus et deus factus per unionem sui hominis interioris, quod ipse sit cum deo adorandus ut deus, non separatim, sed ipse cum beatissima trinitate, ita quod, dum adoramus patrem et filium et spiritum sanctum, debemus simul cum hoc adorare ipsum.

a) Quinta materia R b) annis K c) sanctus *fehlt* R d) pres-
sione R e) ita *fehlt* R f) *folgt* ipse R g) in *fehlt* K h) sanctus R
i) et serv. *fehlt* R k) accepit R l) Sexta R m) prob. illud per
Johannem R n) una K o) deus est *fehlt* R.

1) Gal. 2, 20.

2) Joh. 16, 13.

3) Joh. 17, 21.